

**RESPONSA PONTIFICIAE
COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI
AUTHETICE INTERPRETANDO**

I

D. Utrum christifidelium coetus, personalitatis iuridicae, immo et recognitionis de qua in can. 299, § 3, expers, legitimationem activam habeat ad recursum hierarchicum proponendum adversus decretum proprii Episcopi dioecesani.

R. Negative, qua coetus; affirmative, qua singuli christifideles, sive singillatim sive coniunctim agentes, dummodo revera gravamen passi sint. In aestimatione autem huius gravaminis, iudex congrua discretionalitate gaudeat oportet.*

Ad recte huiusmodi responsionem intelligendam opus est aestimare integrum praeceptum can. 299, § 3 CIC, qui canit: «Nulla christifidelium consociatio privata in Ecclesia agnoscitur, nisi eius statuta ab auctoritate competenti recognoscantur». Norma, hac formula sumpta, opportunissima evadit et, quamvis extremis temporibus ante promulgationem in codicem inducta, magnopere probanda est. Nam quaelibet consociatio, cum in Populo Dei vivit, aliqua quamvis minima ratione secum trahit totam Ecclesiam, cuius fraternitas per sociatam suam navitatem, *foris quo-*

* Responsio Coetus Plenarii Commissionis diei 29-4-1987. Probata a S.P. in audientia 20-6-1987. Promulgatio autem in AAS 80 (1988) 1818, die 12-2-1988.

que, valet ad imaginem eiusdem Populi Dei apte formandam.

Intelligentiam huius principii habere reapse possumus si ipsum apte coniungimus cum christifidelium iure-officio¹ libere in Ecclesia sese sociandi². Huiusmodi ius-officium sonat ante omnia libertatem, *sociata opera* «adlaborandi ut divinum salutis nuntium ad universos homines omnium temporum ac totius orbis magis magisque perveniat»³, ad opus ecclesiae salutare⁴ perficiendum ac ulterius dilatandum. Praeterea — et tali modo reapse fit ius-officium — hoc valet *tantum* in Populo Dei, ubi istiusmodi libertas connectitur et

¹ De hac inusitata canonica qualificatione, praeter Auctoris studia quae in adnotatione 2 commemorabimus, cfr. etiam: P.A. BONNET, *Habet pro conditione dignitatem libertatemque filiorum Dei*, in: *Il diritto ecclesiastico*, 92/1 (1981) pp. 556-621, in: AA.VV., *Diritto, persona e vita sociale. Scritti in memoria di O. Giacchi*, vol. II, Milano, 1984, pp. 157-203; *De christifidelium communi statu (iuxta Schema anni 1979 L.E.F.) animadversiones*, in: *Periodica*, 71 (1982) pp. 463-529; *De omnium christifidelium obligationibus et iuribus (cann. 208-223)*, in: P.A. BONNET-G. GHIRLANDA, *De christifidelibus. De eorum iuribus, de laicis, de consociationibus. Adnotationes in codicem*, Romae, 1983, pp. 19-52; vocem, *Fedeli*, in: *Enciclopedia giuridica*, Roma, sub prelo.

² Quoad hoc cfr.: P.A. BONNET, *De christifidelium consociationum lineamentorum, iuxta Schema «De Populo Dei» codicis recogniti anni 1979, adumbratione*, in: *Periodica*, 71 (1982) 531-604 (cfr. adnotationes bibliographicas, *ibidem*, in adnot.*), pp. 531-534 et in adnot. 67-69, pp. 550-552; *De christifidelium consociationibus (cann. 298-329)*, in: P.A. BONNET-G. GHIRLANDA, *De christifidelibus* (cfr. adn. 1), pp. 73-111; *Il chierico ed il diritto-dovere di associarsi liberamente nella Chiesa*, in: *Il diritto ecclesiastico*, 97/1 (1986) 433-455, in: AA.VV., *Studi in onore di Guido Saraceni*, Napoli, 1988, pp. 59-81.

³ Can. 211.

⁴ Cfr. Concilium Vaticanum II, *Decretum de apostolatu laicorum*, n. 6 a, in: *AAS*, 58 (1966) 857.

copulatur cum aequalitate qua gaudent «qui Spiritum Christi habentes, integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta accipiunt, et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem atque Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis ac communionis»⁵. Haec copulatio inter libertatem et aequalitatem ex qua vere proprieque oritur ius-officium, ad sociatam quoque operam quod attinet, aliqua indiget tamen ampliori explicatione.

Re vera Concilium Vaticanum II Ecclesiae magisterium complectendo, et potissimum altius supplendo et aptius perficiendo, somnium canonistarum etiam in hoc genere obturbavit, et denuo in conspectu doctrinae posuit leges divinas de consociationibus, signis quoque notisque novis declaratas. Magisterium suum in signo communitatis hac in re explicando, Concilium Vaticanum II graviter docet: «Christifideles ut singuli ad apostolatum exercendum in variis suae vitae condicionibus vocati sunt; meminerint tamen hominem natura sua socialem esse et Deo placuisse credentes in Christum in Populum Dei ... et in unum corpus coadunare ... Apostolatus consociatus ergo exigentiae christifidelium tam humanae quam christianae feliciter respondet simulque signum prae se fert communionis et unitatis Ecclesiae in Christo

⁵ Concilium Vaticanum II, *Constitutio dogmatica de Ecclesia*, n. 14 b, in: *AAS*, 57 (1965) 18-19. Quoad incorporationem in Ecclesiam, cfr.: P.A. BONNET, voce, *Capacità*, IV) *diritto canonico*, in: *Enciclopedia giuridica*, vol. V, Roma, 1988 (sine indicatione generali pagellarum), et praesertim, *Il problema della soggettività giuridica individuale*, in: *AA.VV.*, *Studi in memoria di Mario Condorelli*, vol. I, tom. I, Milano, 1988, pp. 179-229.

qui dixit: 'Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum'... Quapropter christifideles apostolatum suum exerceant, in unum conspirantes. Sint apostoli tam in suis communitatibus familiaribus, quam in paroeciis et dioecesibus, quae ipsae exprimunt indolem communitariam apostolatus, atque in liberis coetibus in quos se congregare statuerint»⁶. Novitas huius loquendi modi patet⁷. Sermo, ut facere solet Concilium Vaticanum II, incardinatur christifideli, qui rursus primam personam humanam⁸ in Populo Dei repetivit ac resumpsit. Sub hac luce apostolatum esse munus omnium christifidelium asseritur, ita ut unusquisque ex iis, ante quamcumque officii vel vocationis diversitatem, cum aliis quoque in unum conspirantibus, partem habere Ecclesiae missioni apostolicae, eademque fungi reapse possit. Praeterea idem Concilium huiusmodi personalem condicionem, a iure hominis in aliis communitatibus libere sese sociandi clare disiunctam, ponit vere recteque in Ecclesiae incorporatione⁹, ita ut istud ius-officium proprie nativum, non autem hominis sed christifidelis, habeatur.

Huiusmodi capitalis libertas tamen (non aliter

⁶ Decretum *de apostolatu laicorum*, n. 18 a, in: AAS, 58 (1966) 852-853.

⁷ Ratione habita disciplinae pianae-benedictinae. Quoad hanc condicionem eiusque crism cfr. e. gr.: L. GUERZONI, *Diritto di associazione, associazionismo spontaneo dei fedeli e «autonomia» delle chiese locali*, in: AA.VV., *La Chiesa dopo il Concilio. Atti del congresso internazionale di diritto canonico*, vol. II/1, *Comunicazioni*, Milano, 1972, pp. 753-780.

⁸ Cfr. P.A. BONNET, *Il «christifidelis» recuperato protagonista umano nella Chiesa*, in: AA.VV., *Vaticano II. Bilancio e prospettive 25 anni dopo*, a cura di René Latourelle, ed. italica, vol. I, Assisi, 1987, pp. 471-492.

⁹ Cfr. supra, adn. 5.

ceterum ac omnes aliae in Populo Dei) est tantum ad propriam salutem, at vero, et quidem modo omnino necessario, per Ecclesiae aedificationem. Nam «placuit ... Deo homines non singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare et salvare, sed eos in Populum constituere, qui in veritate Ipsum agnosceret Ipsique sancte serviret»¹⁰. Hoc altius significat libertatem hanc copulandam esse cum aequalitate ex qua Ecclesia solidatur in singulari sua communione, quae, ad mentem can. 205, coalescit unitate fidei, sacramentorum et ecclesiastici regiminis.

Ad hanc multifariam unitatem, proindeque aequalitatem, apte tuendam in Ecclesia Dei, cum spiritu quidem servitii, ponitur hierarchica auctoritas, potissimum episcopalis, quae diversas mentes libertati ita in aequalitate componere debet, ut «nemo in fidelium communitate extraneum se sentiat», immo ducantur «omnes ad caritatis unitatem... "caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes"»¹¹. Ut munere suo recte auctoritas illa fungere possit, «omnes christifideles, illa quae sacri Pastores, utpote Christum repraesentantes, tamquam magistri et rectores in Ecclesia statuunt, christiana oboedientia prompte amplectantur, Christi exemplum secuti, qui sua oboedientia usque ad mortem, beatam libertatis filiorum Dei viam omnibus hominibus aperuit»¹². Qua de re, haud sine mutationibus, postrema ista Concili Vaticani II verba recepta sunt in can. 211, § 1.

¹⁰ Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica *de Ecclesia*, n. 9 a, in: AAS, 57 (1965) 12-13.

¹¹ Concilium Vaticanum II, Decretum *de presbyterorum ministerio et vita*, n. 9 c, in: AAS, 58 (1966) 1006.

¹² Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica *de Ecclesia*, n. 37 b, in: AAS, 57 (1965) 43.

Huiusmodi hierarchicum servitium proinde potest ac *debet* condiciones quoad libertatem quoque sociandi ponere, at *tantum* ad hanc unitatem seu aequalitatem fidei, sacramentorum atque ecclesiastici regiminis apte servandam, sicuti iterat, alia tamen sub ratione, idem codex in can. 209: «§ 1 Christifideles obligatione adstringuntur, sua quoque ipsorum agendi ratione, ad communionem semper servandam cum Ecclesia. § 2 Magna cum diligentia officia adimpleant, quibus tenentur erga Ecclesiam tum universam, tum particularem ad quam, secundum iuris praescripta, pertinent».

Aequalitas (sed hoc, mutatis mutandis, de libertate quoque praedicare possumus), proinde, non est *tantum* valor autonomus sed momentum etiam necessarium uniuscuiusque libertatis, quae in communione Ecclesiae inesse et communionem Ecclesiae vivere debet, quaeque proinde solum cum aequalitate reapse copulata a christifidelibus in Populo Dei perfici potest. Re vera christifidelis, libertatis quoque sese sociandi causa, fingit atque conformat aliquid notis propriis, sed semper in hac varietate idem Spiritus vivit, ita ut diversitas, id est libertas, sua ex parte, exprimat eandem unitatem, videlicet aequalitatem, singulari sua ratione, veluti aliquo modo, ad extremum, dissimilitudo habetur in Ecclesiis localibus particularibusque «ad imaginem Ecclesiae universalis formati in quibus et ex quibus unica Ecclesia catholica existit»¹³.

¹³ Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica *de Ecclesia*, n. 23 a, in: *AAS*, 57 (1965) 27. De hac formula cfr.: W. AYMANS, *Das synodale Element in der Kirchenverfassung*, München, 1970, pp. 321-322. De habitudine inter particularem et universalem Ecclesiam, cfr. J. BEYER, *Eglise universelle et Eglises particulières*, in: *AA.VV., Investigationes theologico-canonicæ*, Romae, 1978, pp. 57-74.

His praehabitis clare perspicitur et *sensus* et *vis* recognitionis de qua in can. 299, § 3. Huiusmodi recognitio nihil aliud est nisi probatio, ab auctoritate hierarchica peracta, circa *existentiam*, et solum circa existentiam, alicuius speciei libertatis sese sociandi cum aequalitate apte copulatae, seu tantum *certaine definitaeque rationis* executionis can. 215. Recognitio nostra, in sociata opera de qua cogitatur et praesertim in statutis nixa, exigitur ab ipsa aequalitate, quae pro tali tantaque re, ut ad actum sit expedita, postulat explorationem accuratam congruentiae cum unitate fidei, sacramentorum atque ecclesiastici regiminis, ut omnes dubitationes et ad intra et ad extra Ecclesiae quoad hoc tollantur.

Hoc sensu stante, patet *et* eiusdem recognitionis limites certi, qui praeterea auctoritati hierarchicae *nullam relinquunt discretionalitatem* (per se ceterum ipsum ius-officium libere in Ecclesia sese sociandi reapse negantem) *et* ipsius recognitionis vis. Ad hunc postremum effectum quod attinet, animadvertendum est *ante* hierarchiae recognitionem ius-officium libere in Ecclesia sese sociandi ad actum expeditum re vera *non* adesse, ita ut eadem recognitio sit non onus aliquod, sed recte vereque condicio omnino necessaria ad existentiam, de facto quoque, alicuius conso-ciationis in Populo Dei. Ex quo etiam intelligitur, solum ad tuendam aequalitatem, necesse esse servitium hierarchicum, et quidem certa quoque ratione expressum, i.e., sive agendi modis ad hoc probandum firmis, sive, quod ad certitudinem cavendam certe optabilius est, formali decreto. Notandum denique est fastidium aliquorum christifidelium erga hanc recognitionem oriri fortasse praesertim a metu ne auctoritas hierarchica extra munus suum agat.

Ex his omnibus rectitudo responsionis de qua

egimus oculis occurrit. Nam ante recognitionem, consociatio nec de facto in Populo Dei exstat, sed tantum habentur singuli christifideles. At eadem responsio, pro nobis, dubitationem movet, saltem in factis speciebus in quibus recursus est contra negationem ipsius recognitionis, et ratione habita christifidelium, qui, semper, *positive* probationi propriorum iurium-officiorum utilitatem habent, et quidem summam, et *negative*, huiusmodi probatione deficiente, gravamen patiuntur. Praesertim tamen dubitatio nostra est de illis quae responsio ad extremum habet, ad modum quidem *additamenti* vere recteque *legislativi*, etiam ad can. 1732-1739 quod attinet: «In aestimatione autem huius gravaminis, iudex congrua discretionalitate gaudeat oportet». Quoniam responsio ipsius Commissionis respuit, illa quaestione posita, admissionem hierarchici recursus, et saltem quando agitur de actu recognitionis (qui sicuti vidimus, attingit *solum* existentiam iuris-officii de quo in can. 215 ad actum expediti), mensura quaecumque rationi conveniens, ad quam superior referri possit, deficit. Immo res aliter esse nequit. Praeterea his in adiunctis, ipsius recursus negatio negationem aptae tuitionis iurium-officiorum in Ecclesia valet, quae, prouti perspicuum est, aliquid evadit contra spiritum totius iuris canonici ac proinde *simpliciter* irrationale est.